

257

D. D.
DISSERTATIONIS ACADEMICÆ,
EXPLICATURÆ QUESTIONEM:

**AN SVETHIA
PLURES OLIM HABUE-
RIT INCOLAS,
QUAM NOSTRO ÆVO?**

PARTEM PRIOREM,

*Consensu Amplissimi SENATUS Philosophici
in Illustri ad Auram Atheneo,*

PRÆSIDE

**M^{AG.} JOHANNE
BILMARK,**

HIST. & PHIL. PRACT. PROF. REG. & ORD.
atque Facult. Phil. h. t. DECANO,

PUBLICO EXAMINI SUBJICIT

**LAURENTIUS CHRISTIERNUS
BJÖRK GREN,**

OREBROGIA - SVECUS.

DIE IX. DEC. ANNI MDCCCLXVII.

H. A. M. S.

VIRO SPECTATISSIMO atque CONSULTISSIMO,
**D^N. CAROLO JACOBO
D O B B I N,**

Ad Dicasterium Aboënsse V. NOTARIO Dexterrimo,

NUTRITIO BENIGNISSIMO.

Quum inde ab illo tempore, quo in honestissimam TUAM Domum admissus fui, plurima in me extare volueris favoris plane singularis documenta, hanc prætermittere occasionem haud potui, quin TIBI publice significarem, quod gratissimo animo TUA prosequar beneficia. In pignus igitur observantiae nunquam intermorituræ suscipias has studiorum meorum primitias, quas TIBI oblatas volui ac debui. Ego vicissim DEum, omnis boni datorem ac remuneratorem, assiduis fatigabo precibus, velit TE, Tuamque honestissimam Familiam omni felicitatis genere ad seros usque mortalitatis terminos maciare. Sic ex intimis cordis recessibus vovet

CONSULTISSIMI NOMINIS TUI

observantissimus cultor

LAUR. CHRIST. BJÖRKgren.

§. I.

Dantur haud pauci Eruditi, qui vetustissima tempora adeo admirantur, ut homines, sacerulis Heroicis viventes, solos fortes, solos justos atque felices prædicent; ex quo perswasionis culmine si in nostram forte despiciant ætatem, nihil nisi languorem, vitia & infortunia animadvertisunt, saltem experiri sibi videntur. Quid? Quod eo usque progrediantur nonnulli, ut non solum animalia jam decrevisse, sed ipsas quoque arbores quondam robustiores ostentasse truncos & grandiora cacumina motasse, in compertis habeant. Quos igitur si quis interrogaverit, an plures olim fuerint orbis incolæ, quam nostro reperiantur ævo? Hanc quæstionem non solum graviter adfirmant, sed in robur sententiæ tam rationum syrmata, quam stupendos adferunt calculos (*a*). Nostrum non est, hos opinionum lacertos nunc examinare, quam operam in se suscepit acutissimus HUME (*b*), qui multas præstigias sollerter removit, sed angustiori circulo nostra, si quæ sit, terminabitur industria, indagatura scilicet: *An Suevia plures olim habuerit incolas, quam nunc in Patria inveniantur?* Arduum valde esse hoc argumentum in tanta præsertim, quanta jam labora-

mus, veterum monumentorum inopia, nemo facile ambiget; si vero quis idem magis curiosum, quam utile censuerit, nos contra existimamus, utilitatem cum jucunditate in propositæ quæstionis resolutione esse conjunctam. Quum enim cordato Politico non sufficiat, præsentia tantum intueri, verum aciem mentis in remotissima quoque intendit tempora, ut ex utriusque ævi comparatione intelligat, quid exspectandum, quidve agendum ipsi sit: qualis autem antiqua patriæ suæ facies fuerit non ex Oratorum aut Poëtarum magnificis narrationum coloribus, sed ex ipsa regionis natura & variis institutis, quæ tunc vigerunt, colliget. Illi enim plerumque non licitum modo, sed grati animi erga Majores officium esse censem, horum conditionem quibusvis imaginationis flosculis ita adsperrere, ut, quod venustum sit, tantum appareat, quod horridum vero, in conspectum non veniat. Veterum autem elogia probaturus, cum ad alia momenta, tum imprimis ad numerum incolarum, quantus hic diversis fuerit temporibus, attendet; siquidem in confesso est, quod, quo plures & simul bene morati in republica quadam fuerint cives, eo ipsa felicitatis culmini sit propior, quæ contra minuitur, pro ut numerus talium civium decrescat. Quod si harum propositionum nexus quis non facile admiserit, cogitet tantum, quod quo plures aliqui

cubi fuerint cives, eo plures ad salutem publicam conserant symbolam, eo plura quoque ibi sint vitam sustentandi adminicula, quæ partim beneficæ naturæ, partim industriæ accepta referunt, & quibus tranquille frui ipsis conceditur; adeoque numerus civium plerumque indicat regionis ubertatem atque incolarum commoditatem & securitatem, id est: felicitatem civilem. Si igitur nos in sequentibus ostendamus, majorem nunc in Patria esse civium numerum, quam olim fuerit, ingenuus quisque Lector sese invitari sentiet, ad Divinam benedictionem agnoscendam & celebrandam, quippe Cui tantum munus est tribuendum. Tum fas quoque erit REGUM nostrorum; qui proximis his floruerunt sæculis, prudentiam prædicare, qui ut incrementum ci-vium promoverent, nullis pepercerunt curis, sed follicite curarunt, ut benignitatis sensus ad seros etiam pertingeret nepotes. Vides itaque C. L. non jejunam aut sterilem in se esse materiam, quam enodandam sumsimus, sed si quid tale in ipsa animadvertas tractatione, hoc vitium infantiae nostri ingenii tribuas; cuius ut mitiorem agas Censoriem, enixe rogamus & contendimus.

(a) Multam operam huic argumento tribuit H. VOSSIUS; longius adhuc tamen progrederit ILLUSTR. MONTESQUIEU, qui ex calculo subducto contendere non dubitat, quod vix quinta hominum pars nostro ævo reperiatur, quæ fuit tempestate JULII CÆSARIS, vid. *Lettres Persanes o. m. 255. seqq.* nec non *L' Esprit des Loix Liv. XXIII. Chap. 17. 18. 19.* (b) Vid *Discours Politiques par Mr. HUME Discours X. T. I.*

§. II.

Ad constitutionem atque secunditatem hominum haud parum confert ipsa cœli solique indoles. Sive enim aér, quem continuo sorbemus, in nostram substantiam tandem convertatur, sive motum partium fluidarum solummodo promoveat; utroque modo egregie nobis consulitur, si aér purus, nec variis oppletus fuerit exhalationibus. Enimvero quum sol radios in regiones nostras oblique spargat, tantam vaporum copiam ex terræ gremio apud nos non educit, quanta meridionales adligit populos; quare exoptata gaudemus serenitate, dum australes spissis atque fœtidis sœpius involvuntur nebulis. Non equidem negamus, quin frigoris vehementia subinde premamur, quod tamen incommodum minus est, quam sibi persuadent Australes, imaginationem potius, quam fidam consulentes experientiam. Frigoris enim hiemalis rigorem imminuere pro arbitrio possumus, accenso in cameris nostris foco; dum Australes, fervidum solis æstum declinaturi, profundas subire coguntur speluncas, ubi a venenatis animalibus & noxiis vaporibus præsentissimum illis sœpe imminet exitium. Frigus vero corporum nostrorum fibras condensando, eadem firmiora reddit, promovetque ita sanguinis circulationem; unde major oritur alacritas & vigor ille, quem in desiderato pierique habent

Au-

Australes. Frigus denique rabiem pestis & morborum contagiosorum impetum cohibet, ne in perniciem generis nostri sœviant. Quæ amplius de præstantia orbis Suiogothici dicenda forent, egregio PAULI VARNEFRIDI testimonio complectimur: *Septemtrionalis, inquit, plaga quanto magis ab æstu solis est remota, & nivali frigore gelida, tanto salubrior corporibus hominum, & propagandis est gentibus magis coaptata; Sicut e contrario omnis meridiana regio, quo solis est fervori vicinior, eo tempore morbis abundat & educandis est minus apta mortalibus.* Unde fit, ut tantæ populorum multitudines Arctoo sub axe orientur (a) Hinc dispiciendum est, an clima Hyperboreum olim præstantius & melius fuerit, quam nunc reperiatur? Asperum esse sibi cælum fatebantur Scythæ, de antiquitatis gloria cum Ægyptis contendentes, quamvis haud procul a Ponto Euxino tum habitarent (b); unde colligere licet, quod in terris borealibus, utpote magis adhuc incultis, durius clima tunc fuerit. Habet quidem frigus, ceu modo ostendimus, sua commoda; at si idem nimis sit intensem & diuturnum, mortalibus impedimento est, quo minus ea comparare possint, quæ ad vitam sustentandam necessario requiruntur, quibus in angustiis haud magna expectanda est hominum multitudo. Valet enim tritum proverbium: *Sine Cerere & vino vel potu friget Venus.* Enimvero si aliarum per Europam terrarum facies intueamur, plerarumque multo mi-

tiorem adspectum nunc animadvertisimus, quam
 olim fuerit. Italiam modo consideremus. Docent
 annales, quod anno U. C. 480 tantum frigus
 meridionales hasce oras adfixerit, ut arbores ve-
 hementiam ejus horrentes contabuerint. Ipse Ti-
 beris glacie constrictus, atque terra per quadra-
 ginta dies nive tecta fuit. Id vero non insolens
 fuisse, testantur scripta HORATII, JUVENALIS,
 aliorumque. Nostro autem ævo Tiberis glacie
 non obducitur, & hiems asperrima habetur, si nix
 intra biduum non liquefiat (c). Porro si quis ex
 indiciis TACITI Germaniam nunc quereret,
 ad inhospita usque Lapponum tesqua excurre-
 ret. Vocat enim *eandem informem terris, asperam cœ-
 lo, tristem cultu adspectuque, nisi si Patria sit (d)*. Et pau-
 lo post: *Terra et si aliquanto specie differt, in universum
 tamen aut silvis horrida, aut paludibus fœda --- satis ferax,
 frugiferarum arborum impatiens, pecorum secunda, sed ple-
 rumque improcta, ne armentis quidem suis honor aut glo-
 ria frontis (e)*. Quo circa merito exclamat LIPSIUS:
*O! quam hæc nunc aliter, & Germania oppidis, populis, in-
 geniis, artibus & opibus cum quavis terrarum contendit (f)*.
 Quæ TACITI verba, si quis justa mentis lance
 pensitaverit, mitius clima orbi Svio-Gothico, ut-
 pote borealiori, antiquissimorum temporum habi-
 ta ratione, non tribuet; nisi ~~meridionales~~ vitio in
 transversum actus fuerit. At quam longe nunc
 absimus ab illo Majorum squalore; diminuta
 sunt incommoda, quæ hos adfixerunt, tantum

fri-

frigoris superest, quantum ad nostrum requiritur vigorem: caloris diuturnioris facti sumus particeps, nec tamen australium sentimus torporem & calamitates. Ex quibus luculenter apparet, quod clima Hyperboreum non minus nunc favet procreationi generis humani, quam olim, siquidem per culturam evaserit magis temperatum.

(a) *De Gestis Longobardorum Libr. I. Cap. I.* (b) *vid. JUSTINI Histor Libr. II. Cap. I.* (c) *vid. L' Abbé du BOS Vol. II. Sect. 16. cit. ab HUME loco ruper citat. p. m. 286 & 287.* (d) *vid. German. TACITI Cap. II.* (e) *vid. Libr. modo cit. Cap.V.* (f) *vid. Ejus notas ad TACITUM.*

§. III.

Ubicunque terrarum sunt homines, qui sufficientibus vitæ sustentandæ adminiculis gaudent, ibi etiam incrementum civium sperari potest. Quod adeo verum est, ut Politici ex abundantia alimentorum ad civium frequentiam argumentari non dubitent. Hinc acutissimus HUME:
A - la vérité un Pays dont le climat & le terroir sont propres aux vignes & produissoient beaucoup de vin, sera toujours plus peuplé que celui, qui ne produit que du bled, & celui-ci plus que celui, qui ne produit que des paturages. (a)
 Quod ad Majores nostros attinet, varios quidem exercuerunt vitam sustentandi modos, quos inter præcipuum sibi locum vindicant piscatus & venatus. Ille quidem multo copiosior olim, quam apud nos, fuisse videtur, quamvis his maris atque fluviorum spoliis etiamnum laute satis fruamur; attamen cum veteres Scandiani idoneis instrumentis, quibus vagabundas piscium cohortes qua-

quavis anni tempestate comprehendere possent; diu destituerentur, nec non sal desiderarent, quo pisces condire & ita in futuros usus servare potuerint; verisimile est, quod hujus obsonii inopia saepe laboraverint, nisi pisces, æstate captos, radiis solaribus exposuerint & ita torruerint. De venatu idem ferme valet, quod de piscatu; immo labor hic ob velocitatem & circumspectiōnem naturalem animalium silvestrium paullo operosior erat. Damus omnino, Majores nostros tanta peritia sagittas jaculandi fuisse gavisos, ut propter eam Scythæ nuncupati sint; attamen quum aptis carerent machinis, industriam eorum tam aves quam quadrupedes saepe eluserunt. De FENNIS perhibet inter alia TACITUS, *quod in sagittis sola spes fuerit, quas inopia ferri offibus asperaverint;* item *quod viros comitarentur feminæ in venatu & partem prædæ peterent (b).* Qui apparatus venatorius & quod vitæ genus inopiam alimentorum valde produnt. Præterea vitæ Majorum sustentandæ inseruit *Res pecuaria:* sed cuius indolem, qualis olim fuerit, nobis non satis perspectam nunc habemus. Sive autem more Lapponum cervis Rhennibus tantum gavisi fuerint; sive rursus pecudes & armenta pascere consueverint, exiguam tunc horum multitudinem habuerunt, siquidem culturam pratorum, quæ pabula per longam hiemem porrigerent, neglexerint. Inter lucrofa vitæ susten-

tandæ adminicula, a Majoribus usitata; referuntur quoque *Latrocinia & Piratica*. Et diffiteri certe non potest, quin Mavortia Gothorum proles, opimis spoliis onusta, saepe domum redierit; interdum tamen dum strictis gladiis victum petierunt, vitam prius amiserunt, quam latrantem saturare potuerint stomachum. Esto autem, quod Majores varia venatione abundaverint; certum tamen est, quod in aliis innoxiiis atque sustentationi generis humani a Supremo Numine præcipue destinatis artibus, nobis longe inferiores fuerint. Huc imprimis referimus *Agriculturam*, Oeconomiae basin & alimentorum promam condam. De Germanis, quorum nomine veteres Scandianos suisse comprehensos constat, testatur **JULIUS CÆSAR**: *Quod Agriculturæ non studeant, sed major pars vicius eorum lacte, caseo & carne consistat (c)*. Huic pollicem ex nostratis premunt **STIERNHÖKIUS & VILLE** quorum ille adserit, *priscos Svio-Gothos cortice abietenino & quermino, cum panes non suppeterent, viciitas se (d)*. Hic autem ex **SNORRONE** colligit, *provinciam, Tiundalandiam dictam, tantum agros, sed sero & mediocriter cultos, habuisse (e)*. Quod sicut de primis post immigrationem in has oras sœculis valere censemus; ita postmodum, etiam sub Dynastia Yinglingica, sylvas quotannis exustas, densisque favillis semina mandata suisse, perquam verisimile est. Quam arcte nihilominus in Scandia olim

habitaverit Ceres, & proinde munera sua parce
 distribuerit incolis, vel inde constat, quod par-
 tim inhumana prorsus ratione annonæ ubertatem
 sibi procurare interdum fategerint, partim quod
 circa initium introductæ Religionis Evangelicæ
 in Patriam agricultura in multis adhuc regionibus
 fuerit neglecta: cuius vero lætissimam nunc apud
 nos faciem videmus; vident & exteri progressus-
 que ejus hinc mirantur, inde invident. Quid
 dicam de artibus manuariis, quæ vietum &
 amictum suis cultoribus liberaliter suppeditant?
 Has nostri Majores & valde sordidas & a sua di-
 gnitate remotissimas putarunt, nec ultra præ-
 gnantem necessitatem exercuerunt; nefas procul
 dubio censentes, machinis applicare manus, quas
 gladiis & martis ministerio pridem devoverant.
 Hostes enim vocare & vulnera mereri, quas res
 ulla alias tractare maluerunt. Feroci Majorum no-
 strorum genio magis convenisse videntur *Commercia*,
 quæ ad vitam sustentandam & ornandam pluri-
 mum conferunt. Enimvero quum piratæ maria
 perpetuo fere infesta redderent, atque incertum
 esset, an naves exoticæ, quæ portus Urbium
 subirent, vel permutationem mercium desidera-
 rent, vel exitium oppidorum meditarentur; faci-
 le intellectu est, commercia valde rudia fuisse,
 donec per Christianismum receptum mitescere cœ-
 pissent incolarum mores. Ex quibus omnibus in
 me-

medium jam allatis firmiter colligimus, nos multo pluribus & commodioribus vitam sustentandi adminiculis, quam Majores nostros, gaudere.

(a) Vid: *Discours Politiques Tom. I. p. m. 187.* (b) in *German. Cap. XLIV.* (c) Vid. *Libr. VI. de bello Gallico.* (d) *Libr. II. Cap. VII. p. m. 292.* (e) *Cons. Histor. Pragmat. p. m. 73.*

§. IV.

Sicut plantæ, quantumvis fertili solo satæ sint, optatos tamen fructus non protrudunt, nisi contra aëris & animalium injurias sollicite defendantur; ita in republica bene constituta, quæ de Civium numero sibi gratulari cupit, non sufficit, adminicula vitæ sustentandæ inservientia comparare, sed insuper requiritur, ut hi iusta libertate ac tranquillitate gaudeant, ipsorumque felicitas egregiis promoteatur institutis. Concedimus equidem, imperium SyioGothicum non omni ævo ejusdem suis tenoris aut rigoris, illud tamen moderatum suis vel inde constat, quod Reges nostri ab antiquissimis retro temporibus non dignati sint, cives suos in societatem consiliorum & administrationis imperii admittere; quo facto, libertati horum perquam fuit consultum. Per leges quoque securitati suæ firma circumposuerunt præsidia; per fundamentales enim impediverunt, ne Principes auctoritate & potestate sua in perniciem civium abuti possent, per ceteras vero civiles petulantiae & nocendi pruritui maleferiotorum validum injec-

runt capistrum. Et quum ad incrementum civium multum conferant instituta, quæ matrimonia, illa generis humani seminaria, & ordinant & tuentur; talia etiam prudentiæ Regum nostrorum debuerunt Majores. Quare TACITUS severa *apud illos fuisse matrimonia* prohibet, *nec ullam morum partem magis laudaveris* (a). Tantum quoque habitum fuit probrum, fidem conjugi datam fallere, ut feminæ, quæ modestiæ ac pudicitiæ limites semel transilierat, nulla spes superesset, alii marito nubendi, quamvis & propter formæ venustatem & lautam, quam secum ferret, conditionem esset commendabilis (b). Ut alia multæ reticeam instituta, quibus matrimoniorum sanctitatem promotam iverunt. Enimvero nec in hoc puncto Majoribus nostris sumus inferiores; sed sicut in clariori rerum atque officiorum cognitione, per veram Religionem atque sobriam Philosophiam, acquisita versamur, quum illi creperam tantum disciplinarum auroram intuebantur; ita imperium Svio-Gothicum egregie jam est constitutum & talibus fruimur institutis, quæ ad libertatem, securitatem atque incrementum civium apprime conducunt: quod neminem ignorare arbitramur, nisi domi hospes & peregrinus in Patria fuerit.

(a) In German. Cap. XVIII, & VERELH nor. ad Hervar. Histor. l. 131. (b) Vid. DALINI Hist. Tom. I. p. m. 270.

§. V.

Ad ingentem illam hominum multitudinem, qua Suio-Gothiam olim non tam habitatam, quam potius inundatam fuisse, plurimi nimis liberaliter credunt, multum contulisse putant Polygamiam, qua Majores nostros fuisse delectatos, sibi aliisque persuadent. Quocirca duo a nobis examinanda veniunt; cum an polygamia ad incrementum populorum re ipsa conducat? tum quid de Polygamia veterum Hyperboreorum sit statuendum. Postquam igitur calculum natorum & denatorum politiores quæque per Europam gentes instituere cœperunt, satis constitit, quod numerus puerorum & puellarum, in lucem quotannis prodeuntium, sit ferme æqualis, nisi ille hunc aliquantum excedat. Singulis itaque maritis binæ aut plures uxores concedi non possunt: ubi enim unus quatuor ex. gr. duxerit uxores, tres alii a conjugio abstinebunt. Dubitari autem non potest, quin mulier plures ex marito, quem sibi solum habet, suscepturna sit liberos, quam ex eodem concipiet, si divisum inter plures uxores quarta modo aut decima aut centesima parte suum vocare possit. Ita quidem si naturam ipsam ducem sequamur, ad incrementum civium nihil vel omnino parum conferet Polygamia. Quod ne quis invita experientia dici existimet, illos adeamus populos, qui uxorum

frequentia delectantur. Pandantur eorum Gynæcea, ubi occurunt seminarum greges, sed quibus liberorum multitudo nequaquam respondet. Hi insuper graciles plerique & juncei sunt, & eorum pallidæ facies exhaustum patris vigorem produnt & se moliores pollicentur posteros. Ex quibus liquido apparet, Polygamiam multiplicationi generis humani non tantum non favere, sed potius eidem maxime contrariam esse. Sed ad veteres Scandianos regredimur: qui num ~~πλύνασιν~~ vel ~~μονηγαρούσι~~ fuerint, dubitari potest, occasionem ambigendi suppeditante dissensu illo, qui inter TACITUM & ADAMUM BREMENSEM reperitur; Ita vero ille: *Germani prope soli Barbarorum singulis uxoribus contenti sunt, exceptis admodum paucis, qui non libidine, sed ob nobilitatem plurimis nuptiis ambiuntur* (a). Hic contra de Svio-Gothis testatur: *quod quisque secundum facultatem virum suarum duas vel tres vel amplius uxores simul habeat: divites & Princes absque numero* (b). Hunc nodum quum alii prætermiserint, alii vero non tam solverint, quam secuerint; de hac controversia nostram paucis aperiemus sententiam. Describit uterque Historicus statum Scandinaviæ, sed sæpe diversimode, quod diversis hi vixerint temporibus. Loquitur TACITUS de primis Patriæ incolis; ADAMUS vero de horum posteris, qui saeculis IX. X. & XI. floruerunt. Enimvero si calculum naterum sun-

fundamenti loco adsumamus, eique superstruamus
veterum Scandianorum vivendi rationem, qua in
plaustris uxores, liberos & Penates circumferre
solebant, nec non minus lautum vitam susten-
tandi modum; nemo in animum facile inducet,
quod singuli mariti plures simul tunc duxerint
aut ducere potuerint uxores. Quo tamen ipso non
negamus, quin tam Reges nonnulli, quam opu-
lentiores quidam cives libertatem sibi sumserint,
plures thori socias sibi quandoque adjungendi (e).
At sequenti tempore quum expeditiones milita-
res tam in alias terras, quam in Orientales su-
scipissent Gothi, exterarum gentium exemplis fa-
cile seduci potuerunt ad Polygamiam simultane-
am, præsertim quum maritis in prælio occisis,
magna esset seminarum viduarum copia. Indu-
ciis ita inter duumviros modo citatos obtentis,
queritur: An *Scandia* populosior fuerit ante vel
post receptam polygamiam? breviter me expedi-
am. Si coloniae, quæ hinc in varias Europæ
partes transierunt, argumentum multitudinis in-
colarum, ut multi autumant, sint habendæ, ple-
rasque harum ante invalecentem Polygamiam
fuisse suscepitas constat; quæ contra desierunt cum
Askmannorum emigratione, quæ tunc contigit,
quum Polygamia Scandianis maxime usitata esset.
Quare Polygamia ad incrementum civium exiguum
confert symbolam.

(a) In German. Cap. XVIII. (b) De situ Danie p. m. 18. (c) Vid, RUDBECKII Atlant. Tom. I. p. 645.

§. VI.

Inter argumenta multitudinis incolarum in regno aut provincia quadam merito refertur frequentia urbium. Hæ quippe necessariæ sunt, tum ut Princeps cives suos facilius in officio contineat, tum ut hi sub illius auspicio conjunctis viribus mutua promoteant commoda, & ingruentia a maleferiatis pericula tempestive depellant. De Germanorum vero populis in universum fatetur TACITUS: *nullas illis urbes habitari; ne pati quidem inter se juncetas sedes: colere discretos ac diversos, ut fons, ut campus, ut nemus placuerit* (a). Attamen circa idem tempus vel saltem non multo post exstruī coeptas urbes per Scandiam ex antiquis colligi potest monumentis. Huc referimus Sigtunam, Upsaliā, Scaram & paucas forte alias. Post receptam vero fidem Christianam auctus valde fuit urbium numerus; veteres vero ita amplificatæ & auctæ sunt, ut lætam adventantibus offendenter faciem. Pro illa autem veterum urbium paucitate, quot ne hodie numeramus? Profecto si ex frequentia oppidorum ad multitudinem incolarum valeat argumentatio, vicies plures nunc sunt in Scandia homines, quam olim conspiciebantur.

(a) In German. Cap. XVI.

§. VII.

Quod in culturam agrorum & pratorum mi-

nori

nori cum successu incubuerint Majores nostri, supra monuimus; quibus nunc addimus, quod pri-
scis temporibus multa deserta loca eademque amplissima fuerint in Patria, unde colligimus, multitudinem incolarum, opinione quorundam erudit-
orum suisse longe minorem. Sic de BRAUT-
AMUNDO, Rege Suethiæ, perhibet STURLONI-
DES, quod ætate ejus, quæ in Sæculum VIII
incidit, terræ incultæ fuerint adeo vastæ, ut non-
nisi plurium dierum itinere peragrari potuerint;
quam Patriæ faciem ipse indigne ferens, secures
& rastra tractare cives docuerit, opima spolia
existimans, agros segetibus luxuriantes atque ex
naturali squalore emergentia rura (a). Idein por-
ro resert, quod cum OLAUS, TRÅTELJA co-
gnominatus, crudelitate Patris INGIALDI ILL-
RÅDÆ avito regno suisset exclusus, post varias
persecutiones in occidentalibus Lacus Væneri litt-
oribus consederit, & terrarum illum tractum,
qui nunc *Wermelandia* dicitur, primus excoluerit (b).
Immo invenimus, quod Helsingia & Jamtia non
solum tunc, verum longo etiam post tempore
incultæ jacuerint (c); adeoque si pro veteri ævo
ex Svethiæ amplitudine subtrahamus spatiofissi-
mas sylvas & solitudines; animum nostrum dein-
ceps subit cogitatio terræ non admodum exultæ
aut populosæ.

(a) *Vil. Heims Kringl. Tom. I. p. 43.* (b) *Vid. Libr. & Tom. cit. p. 53.* (c) *Vid. Libr. & Tom. cit. p. 95.*

§. VIII.

Forte autem quispiam dicat, Majorum firma atque robusta corpora augendo civium numero magis suscepisse, adeo ut decem, duodecim & ultra liberos ex unica susceperint uxore. Veritatem facti non negamus, sed observamus tantum, quod adeo secunda conjugia in nostris etiamnum oris non sint prorsus insolita. Esto etiam, quod Majores multos ignoraverint morbos, quibus genus nostrum hodie laborat, simul tamen eximiū nunc innotuerunt modi illis medendi; qui cum veteres laterent, hi saepe levi de caussa morborum rigorī succubuerunt. Denique in commendationem nostri ævi quadrat, quæ monet Dn. VOLTAIRE: *une des raisons, qui ont contribué en général à la population de l'Europe, c'est que dans les guerres innombrables que toutes ces provinces ont essayées, on n'a point transporté les nations vaincues (a).*

(a) *Vid. L'Hist. Universelle Tom. V. p. m. 318.*

§. IX.

Quamvis allata haec tenus a nobis argumenta ad minuendam prægrandem multitudoinis veterum incolarum Scandiae opinionem, quam multi sibi formant, admodum faciant, forte tamen erunt, qui existimant totum hocce rationum sistema uno alterove convelli posse argumento. Serram itaque contentionis reciprocaturi, urgent, ingentes illas colonias & densa hominum examina, quæ ex Scandia quondam egressa reliquam Eu-

ropam partim inundarunt, partim debellarunt, satis superque ostendere, Scandinaviam veterem hodierna fuisse multo populosiorem. Nec nos dubitamus, quin magnæ & frequentes hominum turmæ ex hoc orbis angulo, tamquam ex equo Trojano, olim processerint; siquidem antiqua, quæ supersunt, monumenta hoc luculenter probent. At quantæ eadem ab initio fuerint, dum longinquis migrationibus sese accinxerint & antequam alios populos, per quorum terras transierunt, sibi adjunixerint itineris atque expeditiōnum comites, nondum expiscari potuimus. Profecto quod in mundo hocce præstat natura, idem fere in antiquissimis revolutionibus contingisse, verisimile est. Sicut enim exigua nivis molles, ex cacumine altissimorum montium decidens, tantam cadendo acquirit magnitudinem, tantoque simul fertur impetu, ut arbores, domos, quin & integros vicos, sibi oppositos, sua violentia nonnunquam secum abripiat, & funditus prosternat; ita Gothorum manipulus, qui solum vertere variis de caussis decreverat, per longitudines viarum agmen suum ita sensim auxit, ut magnum sui terrorem omnibus injecrit. Quare licet minima forte ejus pars turbinis, quæ in expeditione quadam erat, Gothian nostram viderit; attamen quum Gothi autores & Duces essent plerarumque expeditiōnum

num, exteri venditarunt, totam hanc hominum nubem ex Gothia suis excitam. Optime igitur, sicut nobis videtur, acutissimus HUME: *On peut dire la même chose du Danemark & de la Suède, & il ne faut pas croire que ces prodigieux effaçons de peuples sortis du Nord, qui inonderent toute l'Europe, soit une objection à cette opinion.* En effet, quand une nation entière, ou la moitié d'une Nation quitte les lieux de sa demeure pour se transporter ailleurs, il est aisé de concevoir quelle prodigieuse multitude elle doit former, avec quel courage désespéré elle doit assaillir ceux, qui lui sont obstacle. *De-la la terreur, qui frappe les esprits des nations envahies; de-la les exagérations des forces & de la valeur des conquérans (a).* Immo quum plerique Europæ regna ante saecula haud adeo multa contra subitas hostium incursionses parum essent munita, fieri facile potuit, ut aliquot hominum millia, quos hinc gloria, inde rigida exagitavit necessitas, & quibus proinde firmiter fuit propositum, aut vincere aut mori, maximas res haud ita magnis viribus gesserint. Quare veteres Svecorum coloniae totum, de quo disquiritur, negotium non conficiunt.

(a) *Vid. Discours Politiques Tom. I. p. m. 292.*

§. X.

Sententiæ nostræ adhuc obstare videtur testimonium JORNANDIS, Gothorum in Italia Episcopi, qui expeditiones popularium suorum optime sibi perspectas habuit. Ita vero ille: *Ex hac Scania insula, quasi officina gentium aut certe velut vagina*

gina nationum cum Rege suo BERICH Gothi quondam memorantur egressi (a). Incidit ætas hujus Episcopi Ravennensis in saeculum VI. Quisquis autem statum Scandinaviæ ante hoc tempus consideraverit, qualem nobis exhibet STURLONIDES, facile intelligit, Gothos avitis sedibus non ideo fuisse excitos, quod eorum multitudinem amplius non caperet Patria, sed ad crebras has expeditiones excitatos institutis OTHINI II, qui suis persuaserat civibus, veram gloriam nisi strictis gladiis parari non posse, tum etiam quod præcipua religionis pars tunc consisteret in fortitudine atque invicto ad quemvis fortunæ casum animo, gratissimosque in altera felici vita futuros hospites, qui fortiter pro Patria pugnando in acie occubuerint. His stimulis percitos cives amor soli natalis diu continere domi non potuit; sed, quamprimum ætas viresque sinerent, exteris turbarunt nationes, quarum animi doctrina minus feroci erant imbuti. Recte igitur Scandinavia & officina gentium & vagina nationum salutatur, quamvis, ut in §. antecedente fuit ostensum, qui hinc eruperint hominum turbines ab initio non admodum magni & populosi fuerint.

(a) *De Rebus Geticis. Cap. IV.*



ERUDITISSIMO DISSERTATIONIS AUCTORI,
AMICO ATQUE POPULARI INTEGERRIMO.

A miciæ consuetudinisque nostræ ab ipso pulvere Scho-
lastico, ne dicam ab incunabulis inchoatae, plane im-
memor essem, si optatam hanc dimitterem occasionem,
qua, quanto Tuorum in litteris progressum perfundar
gaudio, publice declarare possum. Eruditum & eximi-
um profecto industriae Tuæ & indefessæ lectionis in pu-
blicum edidisti specimen, & certe labores tui melius
impendi non potuerunt, quam in earum rerum indaga-
tionem, quarum cognitio delectat simul & juvat. Am-
plissimus itaque mihi esset campus in Tuas exspatiandi
laudes; sed quum mihi non sit ea dicendi vis ac copia,
ut quid de Te sentiam verbis queam exprimere, paucas
hasce lineas, ob temporis angustiam, grati animi testes
extare volui ac debui: Tot simul Tibi apprecatus bona,
quot ipse, si fortuna Tibi singere dedisset, exoptare
posset. Vale & ama

TUI

studiosissimum
ANDREAM ÖBERG.